

*Ioannes DANTISCUS to [Sigismund I Jagiellon]  
Antwerp, 1522-09-18  
IDL 163*

Tandem me versus Ulmam XX miliaria extra rectum iter contuli, quod sic accidit. Fuerunt mecum in hospitio, et unus solitus erat in eodem cubili excubias facere, qui me Argi oculis semper custodiebant, ne illorum manus evaderem. Habebant cum quibusdam praedonibus, ut postea edoctus sum, intelligentiam, qui agunt in terris marchionis Casimiri, et sperabant me posse consequi. Quod liquidissimis coniecturis considerabam, neminem tamen impetere audebam. Tanta libertas Nurnbergae numquam antea est equitibus praemissa hac illac obequitandi, ut hoc tempore, nam principes ibi agunt, qui sunt regentes, est ibi etiam iudicium camerae imperialis. Quilibet equitum se vel ad principem aliquem, vel ad res suas agendas coram iudicio venisse fingit. Ille, qui mecum in cubili versabatur, adiunxerat se mihi socium et consuluit mihi, quo itinere commodius Maguntiam possem attingere. Ego dissimulabam omnia et quasi secreto illi credidi, ne alicui diceret me rect[a] versus Francfordiam iturum, quod ipsi summe placuit, credebat enim, quod omnem mentem meam expiscatam haberet. Deinde ob maiorem securitatem accepi a Nurnbergensibus 4 equites armatos per marchionis provinciam et una hora ante solis occasum parabam me ad iter, et illos 4 equites praemisi, ut me in silva versus Ulmam exspectarent. Ego vero exivi per portam, qua itur Francfordiam et tandem per alias ambages circa muros civitatis perveni ad illos equites, quos praemiseram, et ivi tota nocte per 8 miliaria usque extra terras marchionis Casimiri incolumisque perveni Ulmam. Paulo post Ulmae audivi, quod in via, quae ducit Francfordiam, per quam me finxeram iturum, tribus mercatoribus manus fuissent amputatae, ut suspicor, ab illis, qui me forsitan per insidias captare studebant.